

20 et nunquam stetit. Proferemus tamen etiam ex Scripturis
divinis, si qua super hoc vel in parabolis vel per apertas
sententias dicta sunt, si qua etiam in maiorum continen-
tur exemplis. Quid tibi videtur aliud continere ovis illa
25 quae cum nonaginta et novem ovibus aberrasset, requi-
sita est postmodum ac pastoris humeris reportata, nonne
aperte et lapsum et reparationem fidelis ostendit? Ovis
enim est et ipsa, sicut et illae nonaginta et novem, et non
alterius sed unius eiusdemque gregis et unius eiusdemque
pastoris, eisdem namque pascuis prius quibus et illae
30 ceterae, eisdem poculis, eisdemque cubilibus utebatur.
Sed erravit et errore non minimo. Per montes enim et
colles evagata est longis scilicet et difficilibus circumacta
erroris anfractibus nec tamen reliquit eam pastor bonus
consumi in erroribus suis sed requirit et revocat. Revocat
35 autem non violenter perurgens nec verberibus cogens sed
propriis humeris subvectans. Sicut enim optimi quique
medicorum eos qui viderint tabo longae aegritudinis
afflictos in nonnullis rigorem temperant medicinae et deli-
catius ac tenerius agunt cum eis. Ita et Deus eos quos
40 videt vehementius peccatis esse corruptos, non districta
satis et ardua observantiae intentione revocat ad viam
virtutis, sed sensim et paulatim ita ut, inquam, pluri-
mis sustentet, in plurimis sublevet ne dura eis et ardua
videatur repentina conversio. Et non tam peccandi amore
45 tracti residere videantur in erroribus, quam conversionis
asperitate deterriti. Sed non haec sola parabola modera-
tionem nobis conversionis ostendit, verum et illa quae
de luxuriosi filii reditu scribitur. Et ille enim filius erat,